

tis; inferiori ad medium trifido, laciniis ovatis obtusis. Stamina quatuor longitudine labii inferioris, basi per paria connata; filamenta basi dilatata et in parte dilatata pubescentia, apice subulata, alba; antherae albae, oblongae, obtusae, basi sagittatae, bilocellatae; locellis parallelis, in staminibus brevioribus altero locello saepe abortiente. Pistillum: germen cylindricum, glabrum, laeve, nitidum, basi annulo nectarifero albo subintegro cinctum; stylus filiformis, staminibus paullo longior, pubescens, viridulus, post foecundationem apice fuscus; stigma uncinatum. Capsulam maturam nondum vidimus.

Cultura. In caldario servanda est haec species, testa per hiemem, loco subumbroso et a fenestrarum distante, in cortice coriarum seposita; aestate vel extra corticem coriarium proficit, praesertim ubi catillo supposito largiori ab inferiori parte nutritur humore. Namque laetari videtur solo humido, quod aequo pondere argillae vel terrae caespitum et humi foliorum putrefactorum subarenosae paratum, equidem nostrae plantae elegi. Propagatur facile pangoendo ramulos abscissos, revulsive a matre stolonibus, qui ad terram decumbentes, sponte radices agunt. Maturum semen nondum sustulimus ex nostris plantis, quarum caules, quotannis emorientes, post aliquod tempus novellis surculis explentur.

S.

Explicatio Tabulae III.

- A. Ramus plantae florentis, naturali magnitudine.
 - a. Calix cum pistillo, aucta magnitudine.
 - b. Flos integer cum bractea, aucta magnitudine.
 - c. Corolla, dissecta et aucta.
 - d. Par staminum lateris sinistri (ad spectatoris dextram), magnitudine aucta.
 - e. Pistillum, magis aucta magnitudine.

CAMPANULA Lin.

Pentandria Monogynia Lin. — Ord. nat. *Campanuleae Iuss.*

Ch. e s s. Calix superus, quinque-vel decemfidus. Corolla campanulata, quinquefida. Filamenta basi dilatata. Capsula poris ad latera dehiscens.

Campanula crassifolia.

C. caule suffruticoso diffuso, foliis petiolatis dentato-crenatis subcarnosis laevibus, summis lanceolatis subintegerrimis, pedunculis unifloris, corolla patente.

Syn. C. crassifolia N. ab E. Syll. Ratisb. I. p. 6.

C. fragilis Link. En. H. Ber. I. p. 215?

Patria. America borealis, unde planta siccata Naumann, amici nostri, opera nobis adlata est. — Colitur in horto nostro, ex alio horto sine nomine comparata. Floret Iunio, Iulio et Augusto mensibus.

Descri. Glaberrima. Caulis basi lignescens. Rami herbacei, longi, apice subramosi, virgati, debiles, procumbentes, subangulati. Folia ad ramorum originem longissime petiolata petiolis supra canaliculatis, parva, reniformia, crenato-dentata, subcucullata; media brevius petiolata, subrotunda, denticulata; superiora ovali-lanceolata, subintegerrima; omnia subcarnosa, coriacea, nitida. Flores in ramulis brevibus terminalibus foliisque parvis linearibus inspersis solitarii, magni, pallide coerulei, fundi colore magis intenso. Calix basi sulcato-angulatus, laciinis linearibus rigidulis integerrimis corolla dimidio brevioribus. Corolla campanulata limbo patente, seu ex campanulato rotata. Filamenta basi dilatata, coerulea, utroque margine pilis candidis ciliata. Antherae flavescentes. Stylus albus, longitudine corollae; stigma flocculosa. Capsula poris ad basin dehiscentia.

Cultura. In solo aperto culta, moderato apud nos frigore, ad 9° R. et ultra, illaesa per hiemem evasit, sed paullo vehementiori gelu, 14° R., extincta est. In testa sata, cum tempore parvi fruticuli speciem induit, marcescentibus scilicet a basi ramulis cum foliis caudiceque radicali nudo superstite; talis autem planta hieme in frigidario reponenda est. Solum, quod ex argilla, arena humoque foliorum mixtis paratur, huic maxime conducit. Semen, vel cum uberrimis gauderent floribus, plantae nostrae nunquam ad maturitatem perfecerunt; propaganda igitur recassis ramis, perfacile radices agentibus.

S.